



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1479. usque ad annum 1494

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1768

VD18 90118340

§. 71. Christophori Columbi reditus in Hispaniam.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-66444](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-66444)

Ferdinandus magnus S. Jacobi Magister Sæcul. XV.
 creatus est, anno vero sequenti, post- A.C. 1493.
 quam supremus Alcantaræ Magister Joanes Stunica ad Hispalensem Episcopatum euectus esset, hujus Ordinis administratio cedebatur Ferdinando, quo defuncto Isabella, si forte superstes, ea potiretur.

§. LXXI.

Christophori Columbi reditus in Hispaniam.

Postquam Christophorus Columbus navigationem suam felici exitu coronasset, necnon ligneum quoddam propugnaculum ad Cuanalayæ regionis, quæ ex Lucaiis insulis una est, litora exstruxisset, ac triginta octo Hispanis firmasset, tandem in Hispaniam reversus est, ad portum Palos immensas auri & mercium, quas ea terra fundit, divitias secum deferens. Admittitur ad Regis consilium, atque itineris sui relatio cum ingenti applausu excipitur. Ubi cum ditissimas hasce Provincias occupandi facilitatem exposuisset, sancitum fuit, ut ad illas Christophorus Archithalassi Indi dignitate auctus mitteretur, eidemque cuncta, quæ peteret, privilegia concederentur. Hanc in rem diploma ei datum fuit die duodevigesimo Maji anno salutis millesimo quadringentesimo nonagesimo

Barros dec. 1. Asia l. 3. c. 11. Surita tom. 5. l. 1. c. 25.

M m 5 tertio.

Sæcul. XV.
A.C. 1493.

tertio. Præterea Rex Columbum, omnesque illius posteros jure nobilitatis donavit, eique in perenne laboris sui monumentum pro scuti gentilitii typo attribuit mare aureo - cæruleum, in quo quinque Insulæ aureæ exurgerent, præter mundi globum, qui in summitate scuti apponeretur.

Referunt nonnulli, quod quidam Hispani Proceres laudem, quæ Columbo tam merito jure debebatur, diminuere quæsiissent, atque hujus navigationis labores plurimum vilipendissent, necnon jactitassent, Indiarum inventionem rem facillimam, atque excepto eo, quod maris perfidia more consueto excitat, discrimine cetera tutissimam fuisse; quin etiam alii addebant, quod quicumque horum alius potuisset easdem illas terras, gentesque reperire, ut proin Italum ad opus adeo expeditum advocare, omnino supervacaneum fuerit. Columbus, qui tum præsens aderat, tacitus diu hosce sermones excepit, tandem surgens, perinde ac si alia agere vellet, ovum attulit, illoque in mensa posito a cunctis adstantibus petiit, ecquis illorum tam sagax esset, ut ovum istud rectum ac in caput constituere posset? quidam magis simplices rem tentabant, alii omnino negabant, id fieri posse. Tum Columbus re-

posuit,

posuit, rem esse nullius negotii, simul-
 que ovum eodem momento leviter a ca-
 pite tusum quassatumque deposuit ere-
 ctum. Tum ridere omnes, & jactatae
 Columbi dexteritati, necnon rei tam fa-
 cili ac nugatoriæ illudere; his tamen
 subridens Columbus reposuit, quis ve-
 strum hoc facile, priusquam vobis exhi-
 berem, facere poterat? Talis est inven-
 tio novi orbis, quem ante me nullus in-
 venire sciverat, eundem vero jam a me
 inventum nullo etiam labore se inventu-
 ros, cuncti jactitant.

§. LXXII.

*Novus orbis a Columbo detectus
 Regibus Hispaniæ a Papa
 donatus.*

Quamprimum Ferdinandus & Isabella
 de felici navigationis, quam Colum-
 bus absolverat, successu summum Pon-
 tificem certiozem fecissent, mox ipse suæ
 potestati robur adjici ratus, si impertire-
 tur ea, (*) quæ nec tamen Ferdinan-
 do

(*) Utrum summus Pontifex potestatem
 habeat, ut Regiones infidelibus ereptas Prin-
 cipibus Christianis donare possit, in præsentis
 discutere, aut decidere, nullatenus instituti no-
 stri

Sæcul. XV.
 A.C. 1493.